

quidem in archivio Magistersacri Palatii, extra urbem vero in loco idoneo, quam episcopus, aut inquisitor elegerit, reservetur.

Postquam autem liber impressus erit, non licet cuiquam venalem in vulgus proponere, aut quoquo modo publicare, antequam is, ad quem hæc cura pertinet, illum cum manuscripto apud se retento, diligenter contulerit, licentiamque, ut vendi, publicarique posset, concesserit.

Idque tum demum faciendum, cum exploratum habebitur typographum fideliter se in suo munere gessisse, neque ab exemplari manuscripto vel minimum discessisse. Qui contra facere ausus fuerit, graviter et severe puniatur.

§ V. Curent episcopi, et inquisitores, quorum muneris erit facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis, spectatæ pietatis, et doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiæ duros, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei duntaxat gloriam spectaturos, et fidelis populi utilitatem.

Talium autem virorum approbatio, una cum licentia episcopi, et inquisitoris, ante initium operis imprimatur.

§ VI. Typographi, et bibliopolæ coram episcopo, aut inquisitore, et Romæ coram magistro sacri Palatii, jurejurando spondeant, se munus suum catholice, sincere, ac fideliter executuros, hujusque Indicis decretis, ac regulis, episcoporumque, et inquisitorum edictis, quatenus eorum artes attingent, obtemperaturos; neque ad suæ artis ministerium quemquam scienter admissuros, qui hæretica labe sit inquinatus.

Quod si inter illos, insignes, ac eruditi nonnulli reperiantur, eidem etiam catholicam juxta formam a Pio IV, fel. record. præscriptam, eorundem superiorum arbitrio, profiteri teneantur.

§ VII. Liber auctoris damnati, qui ad præscriptum regularum expurgari permittitur, postquam accurate recognitus et purgatus, legitimeque permissus fuerit, si denovo sit imprimendus, præferat titulo inscriptum nomen auctoris, cum nota damnationis, ut, quamvis quoad aliqua liber recipi, auctor tamen repudiari intelligatur.

In ejusdem libri principio, tum veteris prohibitionis, tum recentis emendationis, ac permissionis mentio fiat, exempli gratia: Bibliotheca a Conrado Gesnero Tigurino

damnato auctore olim edita, ac prohibita, nunc jussu superiorum expurgata, et permissa.

138. *Causa prolixioris discussionis hujus materiæ.* — Et hæc de lectione, retentione, et impressione librorum prohibitorum prolixius scribere, utile duximus; quia multos circa hanc materiam errores, abusus, et corruptelas, præsertim in his partibus videre est, non sine magno religionis, morum, et animarum præjudicio, quibusdam scriptoribus sua nimis libera, et minus solida doctrina non modicam ad id præventibus ansam. (ADNOTATIO XIX).

§ IV.

DE TOLERANTIA HÆRETICORUM, ET LIBERI EXERCITII RELIGIONIS EORUM: UBI ETIAM DE FŒDERIBUS PRINCIPUM CATHOLICORUM CUM HÆRETICIS, ET INFIDELIBUS: NECNON DE BELLO CUM IPSIS, ET CONTRA IPSOS.

139. *Loquendo de jure communi nec recipi, nec tolerari possunt hæretici, et ritus eorum in territorio Catholico, sed eos ubique repellere, expellere, et exterminare tenentur principes Catholici. Probat ex jure canonico.* — Quæritur I. An principes, aut status, et reipublicæ Catholicæ recipere, vel tolerare in suis territoriis possint hæreticos, et ritus seu exercitia religionis eorum? Resp. I. Ordinarie loquendo, de jure communi tam civili, quam canonico, non possunt principes catholici recipere, nec tolerare in suis territoriis hæreticos, et multo minus ritus eorum, seu religionis, vel potius falsæ sectæ suæ exercitium permittere; sed gravissime tenentur illos ubique locorum repellere et expellere. Conclusio patet ex claris juris textibus canonici quidem, c. *Excommunicamus*, 13, § *Moneantur*, h. t., ibi: « Moneantur autem, et inducantur, et si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam compellatur sæculares potestates, quibuscunque fungantur officiis, ut sicut reputari et haberi fidelia, ita pro defensione fidei præstent publice juramentum, quod de terris suæ jurisdictioni subjectis, universos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide, pro viribus exterminare studebunt, ita quodmodo, quodocunque quis fuerit in potestatem sive perpetuam, sive temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum juramento firmare. Si vero dominus temporalis requisitus et monitus ab Ecclesia

terram suam purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per metropolitanum, et cæteros comprovinciales episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere contempserit intra annum, significetur hoc summo Pontifici, ut ex tunc ipse vassallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, et terram exponat Catholicis occupandam, qui etiam exterminatis hæreticis absque ulla contradictione possideant, et in fidei puritate conservent, salvo jure domini principalis: dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat: eadem nihilominus lege servata circa eos, qui non habent dominos principales. »

Concordat c. *Ad abolendam*, 9, § *Statuimus*, h. t., ibi: « Statuimus insuper, ut comites, barones, rectores, et consules civitatum, et aliorum locorum, juxta commonitionem episcoporum, præstito corporaliter juramento promittant, quod fideliter et efficaciter, cum ab eis fuerint requisiti, Ecclesiam contra hæreticos, et eorum complices, adjuvabunt bona fide juxta officium, et posse suum. Si vero id observare noluerint, honore, quem obtinent, spolientur, et ad alios nullatenus assumantur: eis nihilominus excommunicatione ligandis, et terris ipsorum interdicto Ecclesiæ supponendis. Civitas autem, quæ his institutis duxerit resistendum: et infra. Si qui vero fuerint, qui a lege diocesanæ jurisdictionis exempti, soli subjaceant Sedis Apostolicæ potestati: nihilominus in his, quæ sunt contra hæreticos instituta, episcoporum subeant judicium: et eis in hac parte, tanquam a Sede Apostolica delegatis (non obstantibus libertatis suæ privilegiis) obsequantur. »

Concordat etiam c. *Ut officium*, 11, § *Statuimus*, h. t., in 6.

140. *Et civili.* Jure civili autem, l. *Omnes*, 2, C. h. t., ibi: « Omnes hæreses vetitæ legibus divinis, et imperialibus constitutionibus perpetuo quiescant; » et l. *Manicheus*, 5, C. h. t., ubi postquam plurimos in specie recensuit hæreticos imperator, addit: « Nunquam in Romanum locum conveniendi, morandique habeant facultatem, etc. Quoniam his nihil relinquendum loci est, in quo ipsis etiam elementis sit injuria. »

141. *Ac ratione; quia nempe sicut hæresis peior judaismo, et paganismo; ita etiam hæretici peiores, et perniciosiores sunt Judæis, et Infidelibus.* — Item Authentica, *Si vero* C. eod. ibi: « Si vero dominus temporalis re-

quisitus et admonitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hæretica pravitate, post annum a tempore monitionis elapsam, terram ipsius exponimus Catholicis occupandam: qui eam exterminatis hæreticis absque ulla contradictione possideant, et in fidei puritate conservent. »

Item Authent. *Gazaros*. C. eod. ibi: « Gazaros, etc., et omnes hæreticos utriusque sexus quocunque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus, atque bannamus, etc. » et alibi passim.

142. Ratio tam sanctorum tum canonicarum, tum civilium legum et constitutionum multiplex, et quidem prima est; quia hæresis est summe, et quidem intensive loquendo, magis culpabilis et peccaminosa, Deoque magis odiosa, et injuriosa, quam Judæismus, et Paganismus, ipsique hæretici peiores, ac perniciosiores sunt quam Judæi ac pagani, prout cum D. Thoma, tom. II, 2, q. 10, a. 6, habet communis theologorum, et ante ipsum jam communiter senserunt antiqui SS. Patres, e quibus S. Chrysostomus, in Matth. cap. XII, ait: « Hæreticos Gentilibus peiores esse, nemo dubitat: Gentiles enim per ignorantiam blasphemant, hæretici autem scientes laniant veritatem » S. Augustinus, lib. XXI, cap. xxv, *de Civitate Dei*, ait: « Est et sana fide devium, hæreticorum, qui a Catholica Ecclesia (ad quam saltem per baptismum intraverunt) exeunt, meliorem esse causam, quam paganorum, qui nunquam fuerunt Catholici; cum pejor utique sit desertor fidei, et ex desertore oppugnator ejus effectus, quam ille, qui non deseruit, quod nunquam tenuit. » S. Ambrosius, *de Fide*, lib. III, disere ait: « Hæreticos esse detestabiliores ipsis Judæis, qui carnem Christi crucifixerunt. » Similiter, et adhuc gravior etiam alii SS. Patres loquuntur de hæreticis, atque pessimis titulis, et omnibus diris, ac fulminibus in eos zelo fidei, et veræ religionis inflati invehuntur. Nam a S. Ignatio Epist. ad Trallian. vocantur Diaboli progenies: a S. Irenæo, lib. III, cap. xxxiii, *Organa Satanae*: et lib. V, cap. xx, Diaboli instrumenta: et a S. Basilio, Epist. 141, Diaboli: a Nysseno Orat. de S. Basilio, Pestes, et lues fidei: a S. Gregorio Nazianzeno Orat. 28, Sancti moventur, et theologo unius diei: ab eodem Orat. 33, « Mendacii exercitus, fraudis propugnatores, demonum expeditio, immundorum spirituum legiones, etc. » et a S. Hieronymo in cap. x.

Eccles., Clibani impietatis : ab eodem in Osee, vii, « Filii pestilentia, tenebrarum fontes, gurgites omnium malorum, templa omnium dæmoniorum. » Consimiliter alii sanctissimi, et antiquissimi SS. Patres, ut proin S. Augustinus, in Enchirid., cap. LXXIV, recte dicat : « Ad tam magna tonitrua qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est. » Qui idem S. Augustinus ut videre est apud Pignatelli, tom. I, *Consult.*, 143, n. 13, pronuntiare non dubitavit, intolerabilem, et non obscure hæreticum, ac vix sacræ mentis compotem esse, qui non pejus de hæretico, quam de pagano, aut Judæo, etc., existimat.

Et merito : Tum quia (præter jam dicta, et dicenda infra) hæretici ex destinata malitia veritatem et veram religionem impugnant, pagani vero ex ignorantia ; tum quia hæresis ordinarie ex turpibus causis, malitia videlicet, odio, vindicta, libidine, etc. oritur, cum e contra paganismus, et judaismus ex naturali quadam cæcitate, aut minus culpabili ignorantia proveniat.

143. *Item quia ex continua commemoratione cum ipsis majus scandalum, et perversionis periculum consurgit, quam ex cohabitatione cum Judæis.* — Secunda ratio, cur leges et canones tam stricte prohibeant, ne ulli recipiantur, et ne tolerentur hæretici, est scandalum, et grave perversionis periculum, quod ex continua commoratione, et conversatione hæreticorum cum catholicis enascitur ; quale iterum longe gravius esse illo, quod ex commoratione cum Judæis, et paganis oritur, SS. Patres, et theologi rursus communiter asserunt ; et lamentabilis experientia, præsertim in Germania, Hungaria, Polonia, Gallia, etc. demonstrat, qua constat, quod semel in aliquo loco recepti hæretici, brevi tempore non tantum multa millia hominum, sed etiam integras civitates, provincias, et regna vel ex toto pervertent, vel magna ex parte pestifera suæ hæreseos lue infecerint, et etiamnum infectam teneant. Dum e contra loca, regna, et provincie, quæ sanctis legibus et canonibus obediens hæreticis constantem aliquam habitationem nunquam concesserunt, subdole vero et non per ostium intrantes aut intrasos, statim pro viribus expulerant, uti Hispania, Italia, Bavaria, etc. ab eadem diabolica hæresi lue immunes permanserunt, et adhuc permanent.

144. Hoc scandalum et perversionis peri-

culum ex cohabitatione cum hæreticis proveniens, mirum in modum inculcant, et demonstrent SS. Patres, indeque deducunt, non tantum utroque jure humano canonico nempe, et civili, sed etiam divino prohibitum esse, ne alicubi recipiantur, vel tolerentur hæretici. Brevitatis causa allegationem textuum ex SS. Patribus omitto ; et doctrinam illorum ex S. Scriptura confirmo, ubi commoratio, et conversatio cum hæreticis latis clare videtur nobis interdicta, ita ut etiam Ave hæreticis dicere ibidem prohibeatur. Joan. Epist. 2 : Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite eum in domum recipere, nec Ave ei dixeritis ; qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis. Et Paulus ad Titum, cap. III, 10 : Hæreticum hominem post unam, vel secundam correptionem devita ; sciens, quia perversus est. Plures his similes textus in sacris paginis invenire est.

145. *Item diversitas religionis graviter obest tranquillitati publicæ.* — Tertia ratio est bonum commune pacis, et tranquillitatis publicæ, quæ ibi vera et firma esse nec solet, nec potest, ubi animorum et fidei dissensio ; uti bene advertit S. Ambrosius, 3, *Offic.* illis verbis : Vix firma esse possunt pacis jura, inter quos est fidei bellum ; quod experientia passim oculis oberrans comprobatur. Exempla hujus vide apud Becanum, de *Fide*, cap. xv. Lege etiam, si placet, Justum Lipsium, in lib. *contra Dialogistam, de Una religion.* et alios christianos statistas, qui unum ex principiis primis et maximis regni aut provincie in publica tranquillitate, et bono regimine conservandæ specialissime ponunt unitatem fidei, ac religionis.

146. *Ad evitandum majus religionis, vel Ecclesie catholice malum recipi et tolerari possunt hæretici in locis catholicis.* — Dicitur tamen notanter in conclusione n. 139 posita, ordinarie loquendo, quia limitatur I. in casu, quo prudenter consideratis omnibus considerandis, ad evitandum majus malum, vel procurandum majus bonum, religionis v. g. certam hæreticorum conversionem ; vel ad avertendum transitum integræ provincie catholice ad hæreticos, omnino necessarium judicetur, ut hæretici aliqui recipiantur, aut tolerentur. Layman, lib. II, tr. I, cap. xvii, n. 4, citans Valensem, tom. III, disput. 4, q. 10, pun. 6, ad 4 ; Becanum, 2, 2, cap. xvi, q. 4 ; Cajetanum, Molanum, et alios. Ratio est, tum quia licet

nunquam sint facienda mala, ut eveniant bona, arg. c. *Ex tuarum, de Sortileg.* cum concordantiis : tamen licitum, imo rationale est, ad evitandum majus malum, subinde minus malum permittere, arg. can. *Hac ratione*, 9, cau. 31, q. 1, et l. *Legis virtus*, 7, ff. *de Legib.* cum concordantiis. Hujusmodi majus malum, ad quod evitandum hæreticos recipere, eosve, et exercitium religionis illorum tolerare liceret, merito censeretur, si in præsentem v. g. vel imminente quodam bello hæreticis victoribus, aut nimis præpotentibus existentibus, periculum foret, ne integram aliquod regnum aut provincia sub potestatem hæreticorum redigatur, nisi in tractatu pacis permittatur, ut hæretici in una vel altera civitate, vel etiam in provincia cum catholicis habitare, et religionis suæ exercitia habere permittantur : majus enim malum Ecclesia, et religio catholica utique pateretur, si totum regnum, aut provincia sub potestatem hæreticorum redacta, totaliter a vera religione deflecteret, et periclitaretur, quam si in una vel altera civitate, vel etiam provincia recipiantur, et una cum catholicis sub potestate principis catholici tolerentur, divina Providentia forsitan cum tempore dispositura, ut ita recepti vel convertantur, vel justa aliqua emergente nova causa expellantur.

147. *Non vero ad evitandum aliud malum, vel procurandum bonum temporale.* — Cæterum bene cum aliis ad propositum advertit Layman, lib. II, tr. I, cap. xvii, n. 4, quod præter memoratum majus religionis, et animarum malum, aliud majus malum esse, et dici non facile posset, cujus vitandi causa principes catholici hæreticis religionis suæ exercitium in partibus catholicis permittere licite possint. Placet verba ipsius iormalia hic subjungere : « Quam ob rem (ait) libertas religionis permissa, multoque magis promissa adeo pernicioosa est saluti animarum, atque cuiusvis reipublicæ, quippe quæ sine consensione fidei, ac religionis diu in pace consistere, ac conservari non poterit, ut talis fidei libertas inter mala maxima reipublicæ numerari debeat ; ideoque catholicis principibus non facile malum aliquod gravius esse possit, cujus vitandi causa hæreticis subditis suis libertatem exercitii religionis promittere, aut juramento confirmare liceat ; præsertim cum hujusmodi pactio cum hæreticis intra postea servanda sit. »

148. Et certe conveniunt doctores, non posse principes catholicos ad avertendum malum duntaxat temporale, aut ad obtinendum bonum præcise temporale, aut hæreticos ad sua territoria recipere, aut illos tolerare, ac permittere, ut religionis suæ exercitium ibidem libere habeant. Hinc :

149. *Doctrina practica ad propositum.* — Inferitur pro praxi, non posse principem catholicum recipere hæreticos, vel permittere illis liberum religionis exercitium pro magna summa pecuniaria, vel ex eo, quod hæretici majorem et extraordinarium dare eidem velint tributum annuum, vel quia eundem juvant contra alium principem catholicum pro conservanda, vel obtinenda aliqua religione, vel jure temporali, prout amplius patebit infra.

150. *Recipi insuper possunt et tolerari, si per pacis, vel alium contractum ex objecto non invalidum, vel malum, id eis fuerit promissum.* — Limitatur conclusio n. 139 posita in casu, quo hæreticis per pacis, aut alium contractum vel pactum ex objecto non malum, nec invalidum per principem catholicum fuit promissum, quod in territorio aliquo sint recipiendi, vel jam recepti tolerandi, suæque religionis exercitium libero permittendi ; tali enim in casu juxta fidem publicam datam recipi, et recepti tolerari debent. Nisi nova, eaque justa causa superveniat. Ratio est, quia fides publica cuicumque etiam paganis, Judæis, et hæreticis data, a quovis etiam catholico servari debet, arg. l. *Sicut*, 5, de *Act. et obligat.* prout de Judæis, et paganis supra jam diximus, tit. VI, de *Judæis et Saracenis*, n. 7, atque demonstrat Layman, lib. II, tr. III, cap. xii, n. 15, merito legendus.

151. *Nova emergente causa justa iterum expelli possunt.* — Dicitur tamen notanter, nisi nova justa causa superveniat : ob hanc enim sicut Judæi, ita etiam hæretici semel recepti, et per fidem publicam de tolerantia assecrati ejici procul dubio possunt, per dicta cit. tit. præced. n. 8. Cujusmodi causam vel maxime esse, communiter agnoscunt doctores si pagani, aut hæretici periculosas machinationes, aut enormia commaniter præparant, aut perpetrant contra veram fidem ac religionem, vel regnum, provinciam, aut principem catholicum dominum suum ; prout in specie v. g. fecerunt Romano imperatori subditi, utpote vas-

Romani imperii, hæretici per fœdus

Smalcaldicum Smalcaldiæ inter hæreticos principes initum; utpote quo paciscebantur, quod unitis viribus religionem A catholicam, seu hæresin contra catholicam imperatorem, aliosque catholicos principes, protegere, propagare, veram autem fidem, aut religionem catholicam subvertere velint.

152. *Quare in Germania tot existant, et tolerantur hæretici? Pax religiosa catholicos inter et hæreticos Passavii inita, et Augustæ confirmata an valeat?* — Cæterum ex dictis colliges, quare in Germania tot tolerantur, et in libero suæ falsæ religionis exercitio permittantur hæretici; ideo nempe, quia per pacem religiosam imprimis Passavii 1552, imperatorem Carolum V, et principes catholicos ex una, et A catholicos ex altera parte initam, ac postea Augustæ anno 1555 confirmatam, plena securitas et religionis suæ libertas fuit promissa hæreticis confessionis Augustanæ, seu Lutheranis (Calvinistis tamen et aliis hæreticis ab hoc privilegio exclusis), quam pacem, quia a Sede Romana positive reprobam non scimus, nec nos reprobare audemus; præsertim, cum tunc temporis necessitas vitandi majus malum, periculum videlicet, ne totaliter, vel certe majori adhuc ex parte provinciæ Germanicæ ad potestatem hæreticorum, indeque ad sectam eorum transirent, memoratam pacem, eaque mediante hæreticorum securitatem et liberum exercitium tanquam minus religionis malum permittere coacti fuere catholici.

153. *Quid juris de pace Osnabrugensi et Monasteriensi?* — Quid autem sentiendum sit de pace Osnabrugensi et Monasteriensi, anno 1648 facta, in quo privilegia de libertate religionis hæreticis confessionis Augustanæ per pacem religiosam concessa, etiam ad Calvinistas fuere extensa, et integri episcopatus, monasteria, præposituræ, aliaque plura in summum præjudicium religionis catholicæ, libertatis et immunitatis ecclesiasticæ in perpetuum fuerunt attributa, colliges ex Innocentii X Bulla, qua dictam pacem penitus annullavit et reprobavit, eamque etsi juramento firmatam, omni valore et robore carere, neminemque ullo modo obligare declaravit, ut magis videre licet ex integro tenore ejusdem Bullæ, quæ prout in tom. IV, Bullarii Romani decima nona in. er. constitutiones dicti Pontificis reperitur, ac de verbo ad verbum subjungitur.

154. *Bulla Innocentii X per extensum, qua invalidatur et reprobatur utraque memorata*

Innocentius Papa X, ad perpetuam rememoriam.

« Zelo domus Dei animum nostrum assidue commovente in eam præcipue curam sedulo incumbimus, ut orthodoxæ fidei integritas, ac Ecclesiæ catholicæ dignitas et auctoritas ubique sarta tecta conservetur, neve eorum, qui quærent sua potius, quam quæ Dei sunt, facto jura ecclesiastica, quorum assertores a Domino constituti sumus, aliquod detrimentum accipiant, nosque supremo Judici rationem villicationis nostræ reddiduri, negligentiam in credita nobis administratione arguamur.

» § I. Sane cum intimo doloris sensu accepimus, quod per complures unius Osnabrugis die 6 Augusti præsentis anni 1648, inter charissimos in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum cum suis fœderatis et adhærentibus una, ac Suecos cum eorum itidem fœderatis et adhærentibus ex altera: necnon alterius pacis monasterii Westphaliæ die 24 octobris ejusdem anni 1648 inter eundem Ferdinandum Romanorum regem imperatorem electum, cum suis pariter fœderatis et adhærentibus ex una, atque charissimum etiam in Christo filium Ludovicum Francorum regem christianissimum cum suis similiter fœderatis ex altera parte respective initarum articulos gravissime religioni catholicæ, divino cultui, Sedi Apostolicæ, et Romanæ, ac inferioribus Ecclesiis, ordinique ecclesiastico, ac jurisdictionibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, privilegiis, rebus, bonis, ac juribus illorum illata fuerunt præjudicia. Etenim pactionibus partim utriusque, partim alterius pacis hujusmodi inter alia, bona ecclesiastica alias ab hæreticis occupata, illis, eorumque successoribus in perpetuum addicuntur: hæreticis Augustanæ, ut vocant, confessionis liberum suæ hæreseos exercitium in plerisque locis permittitur, et locorum pro ædificandis ad hunc effectum templis assignato permittitur; ipsique cum catholicis ad publica munia et officia, ac ad nonnullos archiepiscopatus, episcopatus, aliasque dignitates, et beneficia ecclesiastica, precumque primariorum eidem Ferdi-

nando regi in imperatorem electo a præfata Sede Apostolica concessarum participationem admittuntur. Annata, jura palatii, confirmationes, mensæ Papales, et hujusmodi jura, ac reservationes in bonis ecclesiasticis dictæ confessionis Augustanæ excluduntur. Confirmationes electionum, et postulatum prætenorum archiepiscoporum, episcoporum, aut prælatorum ejusdem confessionis potestati sæculari attribuuntur. Plures archiepiscopatus, episcopatus, monasteria, præposituræ, balliviæ, commendæ, canonicatus, et alia beneficia, et bona ecclesiastica principibus hæreticis, eorumque hæredibus, etiam sublata denominatione ecclesiastica in feudum perpetuum sub dignitatis sæcularis titulo conceduntur contra pacem hujusmodi, ullumve ejus articulum nulla jura canonica, vel civilia, communia, vel specialia conciliorum decreta, religiosorum ordinum regulas, juramenta, aut concordata cum Romanis Pontificibus, ullave alia statuta sive politica, sive ecclesiastica decreta, dispensationes, absolutiones, aut alias exceptiones allegari, audiri, vel admitti debere disponitur. Numerus septem electorum imperii olim Apostolica auctoritate præfinitus sine nostro et Sedis præfate beneplacito angelur, et octavus electoratus in favorem Caroli Ludovici comitis Palatini Rheni hæretici instituitur, aliaque multa, quæ pudet referre orthodoxæ religioni, Sedique præfate, ac Romanæ, et inferioribus Ecclesiis, cæterisque præmissis summopere præjudicialia, et damnosa decernuntur.

» § II. Et quamvis venerabilis frater Fabius episcopus Neritonensis, noster, et Sedis præfate ad tractum Rheni, et inferiores Germaniæ partes nuntius extraordinarius in executionem mandatorum nostrorum fuerit palam nostro, et ejusdem Sedis nomine protestatus, ejusmodi articulos esse irritos, nullos, iniquos, ac per nos habentes potestatem temere contractos, atque pro talibus ab omnibus habendos; ac notissimi juris sit, quæcumque transactionem, seu pactionem in rebus ecclesiasticis sine præfate Sedis auctoritate factam, nullam, nulliusque valoris et momenti existere.

» § III. Attamen quo efficacius præmissorum indemnitati consultam sit, pro commissi nobis ex alto pastoralis officii debito providere volentes, ac instrumentorum utriusque pacis hujusmodi, omniumque in illis contentorum, cæterorumque hic etiam

necessario exprimendorum, et inserendorum tenores etiam veriores, et datas, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine prædictos alterius, seu utriusque pacis hujusmodi articulos, cæteraque in dictis instrumentis contenta, quæ catholicæ religioni, divino cultui, animarum saluti, eidem Sedi Apostolicæ Romanæ, et inferioribus Ecclesiis, ac ordini, et statui ecclesiastico, illorumque personis, membris, rebus, bonis, jurisdictionibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, prærogativis, et juribus quibuscumque quomodolibet officium, seu præjudicium etiam minimum afferunt, aut inferre, seu intulisse, et alias nocere, seu nocuisse quoquomodo dici, intelligi, prætendi, vel censi possent, cum omnibus inde secutis, et quodcumque sequendis, ipso jure nulla, irrita, invalida, iniqua, injusta, damnata, reprobata, inania, viribusque et effectu vacua omnino fuisse, esse, et perpetuo fore, neminemque ad illorum, et cujuslibet eorum etiamsi juramento vallata sint observantiam teneri; neque ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem, aut titulum coloratum, vel causam præscribendi etiamsi longissimi, et immemorabilis temporis possessio, seu quasi possessio etiam citra ullam interpellationem, seu interruptionem subsequatur, acquisitum fuisse, necesse, minusve ullo tempore acquiri, et competere posse, neque ulla ullum statum facere, vel fecisse, atque perinde ac si nequaquam emanassent pro non extantibus, et non factis perpetuo haberi debere tenore earumdem præsentium decernimus, et declaramus. Et nihilominus ad abundantiorum cautelam, et quatenus opus sit, articulos præfatos, aliaque præmissa, ut præfertur, præjudicialia, motu scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus damnamus, reprobamus, irritamus, cassamus, annullamus, viribusque et effectu evacuamus, et contra illa deque eorum nullitate coram Deo protestamur. Et quatenus itidem opus sit, easdem Sedem Apostolicam Romanamque, et inferiores ecclesias, ac quælibet loca pia, et quascumque personas ecclesiasticas adversus illa in integrum, ac pristinum, et eum in quo ante prædictam, et quascumque alias assertas seu prælasas anteriores exact-